



*S. H.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
17-28. —  
SIGNAT. 6159CCCXIII.

COMMENTATIO  
DE  
**NVMMO REGIS HIERONIS**  
**ANTIQUISSIMO**

QVA  
PATREM VENERANDVM  
**IOANNEM GEORGIVM**  
**WALCHIVM**  
S. T. D. ET P. P.

DE  
QVINTVM FELICITER VSCEPTIS  
ACADEMIAE FASCIBVS  
PIA PROSEQVITVR GRATVLATIONE  
**IOANNES FRANCISCVS GOTTLIBIVS**  
**WALCHIVS**  
IVRIVM CVLTOR.



IENAE EX OFFICINA RITTERIANA. (744)



HIERONIS I. Syracusorum regis memoriae nummis, in eius honorem cisis, insigniter prospexerunt Siculi, ex quibus etiam nunc nonnulli diligenter ab antiquae rei auctoribus custodiuntur. Quibus colligendis illustrandisque licet certam in scriptis suis operam suam dederint viri harum litterarum peritissimi; tantum tamen abest, ut omnes Hieronis nummos in lucem publicam produixerint, ut potius in antiquariorum thecis adhuc reperiantur, corum admiratoribus minus cogniti ac perspecti. Inter hos refero, quem nuper doctissimum quidam milique amicissimus mecum communicauit, quemque pro virium mearum ratione vberius fam illustrare, apud me constitui. Tua, VENERANTE PARENTS, confitis humanitate, spero, te meas coniecturas benevolè accepturum esse.

HUBERTVS quidem GOLTZIVS, rerum antiquarum insignis interpres, nummum quendam, hanc longe a nostro diversum, iam dudum in lucem publicam produxit; a) qui tamen GOLTZI ET nostri inter se comparare velit typum, aliquam certe videbit dissimilitudinem. In GOLTZII enim nummo intra tridentem duos positos conspicimus delphinos, quorum loco in nostro ornamenta a monetariis adiecta adparent. In GOLTZII verbo *Ispavos*, in revera parte, figuram insolitam NAI b) adpositam videmus, cuius in nostro

a) *Sicil. et Graec. magn. tab. XIII. n. 7.*

b) Huic figura ut interpretaremur significationem, studiose egimus; nihil vero huic simile in antiquis monumentis nobis occurrit.

Quare GOLTZIVM in contemplatione numismatis haud satis perfectam fuisse; vel obliteratum ad manus habuisse exemplum, merito conticimus.

nostro et alio, quem inspeximus, *αεχετύων* ne vestigium quidem comparet, ut quea alia huius generis sunt plura, taceamus. Ipse numerus noster est aereus ac magnitudine talis, qualem in aere exscribendum curauimus. In auersa parte conspicitur caput viri senis, barbati, hirsutas habentis comas ac diadematæ cincti: in reuersa tridens, ad cuius latera duo positi sunt delphini; infra legitur vox **ΙΕΡΩΝΟΣ**. Caput virile in aduerso nummo Neptuno vindicare haud dubito, id quod vel tridens, de quo infra differendi locus erit, luculent nobis significat. Diadema, vti plurimis diis gentilium; ita Neptuno etiam in antiquis monumentis tribuitur, quod nummi apud **IAC. WILDIVM** c) et **GOLZIVM** d) satis nobis demonstrant. Eum enim veteres ea de causa hoc instruxerunt orname-  
to, vt indicarent, ipsum esse regem et imperium in maritima loca exercere, quo de regime gentes, verorum sacrorum expertes, varia effinxerunt, quae **LACTANTIVS** e) et **SERVIVS** f) memoriae prodiderunt. Diadematæ autem olim inter splendidissima regum ornamenti locum stitum habuisse, res omnibus satis nota est et perspecta hocque praeter alias monstrant **EZECHIEL SPANHEMIVS** g) et **O. ALB. FABRICIVS**, b) Vnde regum ipsi cultum veteres attribuisse, ex scriptorum testimonio colligere licet, qui regis titulo Neptunum omnino exornant. **PAVSANIAS** certe dicit: Ποσειδῶνα βασιλέα ἐπίκλησιν: Neptunum regem vocant i) et **SILIVS**: *talibus adloquitur regem marii.* k) Porro cum barba et promissa coma in nummo nostro Neptunus adparet. Haud quidem ignoramus, illum et saepissime imberbe tam in numinis, vti in rarissimo illo apud **PETRVM SEGVINVM**; l) quam marmoribus antiquis apud **RAPHAELEM FABRETTVM** m) et **LAVR. BEGERVM** n) conspicit;

( 2 )

barba-

c) selectis numismatibus tab. XI.  
n. 68.

i) libr. II. p. 182.

d) Sicil. et Graec. magu. tab. XVI.  
n. 7. tab. XXIII. n. 5.

k) libr. XVII. v. 285.

e) libr. I. institut. dinin. cap. I L.  
f) ad Virgil. Aeneid. I. V. 142. adde  
DAN. CLASENIVM theolog. gen-  
til. 41. 4.

l) numismatibus selectis p. 112, vbi  
duo tritones Neptunum, iuuenili  
conspicuum facie sellaque insisten-  
tem, subleuant.

g) diff. de usu et praefrant. numism.  
tom. I. p. 545. edit. V. REVVRGII.  
h) bibliograph. antiq. p. 495.

m) tabula Iliaca, eiusdem com-  
mentario de columnis Traiani adiecta,  
tab. XVIII.

n) bello et excidio Troiano tab.  
XXXIX.

barbatum tamen et graecos suum finxisse rectorem pelagi, non solum auctorum veterum testimonia, qui ipsi cognomen *καυστήρας*, siue *nigris comis conspicui*, imponunt, ut ORPHEVS, o) HESIODVS; p) verum etiam gemma, a laudato BEGERO q) euulgata, et innumeri pene antiquissimi graecorum romanorumque nummi nobis abunde comprobant. Siculos praesertim barbatum Neptunum celebrasse, eorum nummi, quos infra producemus, satis edocent.

Venio iam ad reuersam nummi partem, quae tridentem nobis et delphinos oculis subiicit. Tridentem gentiles Neptuno, veluti sceptrum proprium, assignasse, ut eo melius terrae fundamenta concutere queat, omnibus, qui vel a limine res antiquas salutarunt, satis compertum est. Ipse eum sibi soli vindicat apud VIRGILIVM:

*non illi imperium pelagi, sicutumque tridentem;*  
*sed mihi forte datum. r)*

Hincque certissimum huius dei quandam fuisse signum, ex AESCHYLO cognoscimus:

*ὅπω τείχαναν, τὴν δὲ σημεῖον θεός,*  
*video tridentem hunc, signum dei. s)*

Neptuni nimirum, de quo antea ipsi sermo. Inde *tridentiger* adpellatus est ab OVIDIO. t) Plura de tridente legi possunt apud EZECH. SPANHEMIVM. u) In nummis ergo antiquis si iste adpareat, vti in nostro, ad Neptunum eum omnino referendum esse, nemo dubabit. PAVSANTAS certe de antiquissimis iam populis testatur, eos Neptunum tridentiferum pecuniae suae insculpsisse. x) Delphinos eodem modo sibi vindicat Neptunus, quippe quibus vtitur, si celebriter ad quemdam locum peruenire velit, referente id LVCIANO. y) cuius

o) hymn. p. 114. edit. ESCHENBACHIL.

uit HEINSIUS tom. II. oper. p. 762.  
edit. PETR. BVRMANNI.

p) Θεογ. v. 278.

u) comment. ad Callimachum hymn.

q) thesauro Brandenburgico, tom. I.

in Del. v. 31. p. 347. seq.

P. 73. r) Aeneid. I. v. 142.

x) Corinth. II. p. 182.

s) suppl. v. 226.

y) dialogo de ornat. marinorum tom. I.

t) metamorphos. libr. XI. v. 202.  
quem ad locum vide quae obserua-

operum p. 247. edit. GRAEVIT, cu-

ius notas ad hunc locum vide.

euia ipsa audiamus verba: σὺ δὲ ἀλλὰ δελφῖνοι μοι τινὰ τὸν  
ώνεων παρέστησον. ἐΦΙΠΠΑΣΟΜΕΝΑ γνῶς ἐπ' αὐτῷ τάχισα, τοῦ vero  
potius delphini mibi aliquem ex velocibus illis hic sīsse, in quo  
inequitans quam celerrime prouehar. Quod etiam confirmant num-  
mī, delphino insistentem nobis exhibentes Neptunum, apud CAROL.  
PATINVM. z) Eudemque dextra delphinum, tridentem sinistra  
tenentem in nummo Agrippae, maxime raro, apud amicum, quem  
Hieronis nummum mecum communicasse, dixi, et in gemma qua-  
dam in eleganti WILDI a) collectione vidi.

Iam vero, cur aes Neptuni capite signatum voluerit Hiero, me-  
rito a nobis disquirendum est. Numismata nostrum generatim ad  
cultum et pietatem, que Syracusani Neptunum prosequuti sunt, re-  
spicere videtur, quem maximum olim fuisse, eorum nummi satis  
nobis significant. Plurimis enim in nummis Syracusanorum, ab  
HUBERT. GOLTZIO b) prolatis Neptunum, tridentigerum videmus,  
ad quos et alii apud L. BEGERVM, c) PHIL. PARVTAM d) et PRO-  
SPERVM PARISIVM e) accedunt. Inter romanos familiae Iuliae  
nummum idem GOLTZIVS f) produxit, qui Neptunum, tria femo-  
ra, Siciliae symbolum, manibus tenentem et naui insistentem, repre-  
sentat, quem ad huius dei in Sicilia cultum referendum esse, quis-  
que harum rerum peritus fatebitur. Syracusae enim, in quibus nostrum  
nummum cufum esse, extra omne dubium est positum, siam ori-  
ginem debent Corintho, quam tamquam metropolin suam sunt  
veneratae. THEOCRITVS enim de illis refert: g)

Συρακυσίαις ἔπιτάσσεις  
Ως εἰδῆς καὶ τότο Κορίνθιας εἴμεις ἀναθεν  
Ως καὶ ὁ Βελλερόφων,

Syracusis imperas,  
atque ut hoc quoque noscas, Corinthiae sumus  
ab origine, sicut et Bellerophon:

(3)

adde

- z) numism. imperat. rom. ex aere  
medie et minimae formae p. 256.  
a) gemm. select. tab. XII. gem. 43.  
b) Sicil. et Graec. magn. tab. III.  
n. 7. et 8. tab. II. n. 4. et 6.  
e) thesauro Brandenb. tom. I. p. 386.

- d) nummis Siciliae, a LEONHAR-  
DO AVGVSTINO editis, p. 12.  
e) rarioribus magnae Graeciae nu-  
mismatibus tab. IIII. n. 9. et alibi.  
f) fastis Siculis tom. I. oper. p. 178.  
g) idyll. xv.

adde VELLEIVM. b) Quum enim Corinthus olim Neptuno consecrata esset, illique inter praecipua sua numina locum adsignaret, vt de illa PAUSANIAS i) refert et ludi islmici testantur, quos in Posidonis honorem instituebant, fatis certum est, Syracusanos perinde ac Corinthios huic deo singulari pietate fuisse addictos. In more feliciter veteribus erat positum, vt coloniae sacra et deos metropoleos suae reciperent, qua de re egregium nobis dat testimonium THUCYDIDES his verbis: k) Κορινθίοις δὲ κατὰ τὸ δίκαιον ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν, νομίζοντες ἡχητῶν ἑαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἡ Κερκυραῖον ἀμάρτια δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, οἵτινες παρημέλειν ὄντες ἀποικούς ἦτε γάρ εἰ πανηγύρεοι ταῖς καναῖς διδόντες γέρα τῷ νομίζομενα, ἔτες Κορινθίοις αὐτές προναταρχόμενοι τῶν ἰερῶν, ὁπερεὶς ἀλλαζόμεναι. Corinthii vero et propter ipsam causam aequitatem auxilium promiserunt, quia coloniam istam non minus suam: quam Corcyraeorum esse, ducebant sūmam etiam propter odium, quo Corcyraeos prosequerantur; quia Corcyraei, licet essent Corinthiorum coloni, ipsorum tamē continebant; nam neque in publicis solemnitatibus confueror honores ipsis tribuebant. Neque in sacrificiis, quum viscera distribuebant, a viro Corinthio auſpicabantur, quemadmodum caeterae coloniae. Ita conspicimus in nummis Thuringorum Atheniensium Mineruam: in Rheginorum Chalcidensium Apollinem: in Posidoniorum Tarentinorum Neptunum et aliorum alias, quos angustia temporis praeceps, lubens mitto. Non tamē omittendus videtur nummus apud IO. MARCVINVM I) Syracusanorum originem sistens, qui Pegasum et delphinum refert, quod a Corinthiis, Neptunum maxime venerantibus, origine sua descendenter. Inde quoque accedit, vt haec gens perinde ac Corinthiaca ludos islmicos, quos in Neptuni honorem institutos fuisse, nemo ignorat, tanta celebrauerint opera, id quod de illis critici veteres PINDARI tradunt: m) ἐν Σφεαστοις ἀγερα Φίσιν Ιδμια νεὶ ἐν Κορείῳ ἀποικοι γάρ Κορεύθιοι Συρακυσιοι, Syracusis, ut aiunt, aguntur islmica et Corinthi; coloni enim Corinthiorum

b) libr. II. cap. 15. TEVDAE AD.

i) libr. II. cap. 4. PLUT.

k) libr. I. cap. 25. p. 21. edit. celeb.

DUVEREIS: vide ad hunc locum notam HEDSONI.

l) in nummis antiquis populorum et urbium illustratis, inter opera eius selecta p. 163.

m) ad Olymp. xiii. p. 154. edit. Oxon. e theatro Sheldon.

*thiorum sunt Syracusi. Ex eo satis, ut puto, colligi potest, cur in Syracusanorum nummis mari rex compareat. Accedit, teste CICERO, n<sup>o</sup>) Syracusanus mari praesertim operam nauasse, sicut et eorum urb<sup>s</sup> vndeque mari circumcincta erat, quemadmodum tradit STRABO, o) Quis vero nec sit, omnes gentes maritimas Neptunum omnesque deos marinos summa coluisse reuerentia? Plura quidem, huc spectantia, referre possem, si id commentationis meae ratio, breuitatis lege adstricta, permitteret. Id tantum obseruasse sufficiat, in antiquis numismatibus regum haud insolitum esse, vt dii, quos urbium et regionum incolae pie adorarunt, in ipsis videantur. Sic Diana ΣΩΤΕΙΡΑ in nummis regis Agathoclis: Hercules Marianorum in nummis Prusiae et alii dii, quos nunc repetero nolo, sunt obuii. Ad Hieronem regem speciatim quod attinet, ille, vti sacros equestres graecorum agones maxime in deliciis habuit et ex iis maximam fibi conciliavit gloriam; ita Neptunum, eorum praefidem, summo prosequutus est cultu, cuius religionis amplissimum testem habemus PINDARVM: p)*

Ἐπὶ γὰρ Ιοχέαιρα πατεῖ  
Θάνος, χερὶ διδύμα,  
Ο, τὸν ἐνεγάνθιον Ερρις  
Ἄγλαίτα τιθησι κόσμον  
Ξεῖνον ὅταν δίφεον  
Ἐν δὲ ἄρματα πεισιχάλινα καταζευ-  
γνύει Θάνος ἵππειον  
Ὀρτεγίαναν εὐρυθίαν καλέων Θεόν,  
nam sagittis gaudens vir-  
go mani gemina  
præsesque certaminum Mercurius,  
radiantem imponit ei ornatum,  
politum quando ad currum  
adque capistra, habenis parentia,  
inxixit robur equinum  
tridentigerum late potentem iuuocans deum.

ad quae postrema verba scholiares obseruauit: ὁ ιέραν καλῶν τὸν  
Ποσειδῶνα, οἷς ἵπποι θεὸν. Vetus quippe graecorum gens Neptu-  
num

n) in Verrem IIII. cap. 52. o) libr. VI. p. 186. p) pyth. II. v. 16. p. 182.

8 COMMENT. DE NUMMO HIERONIS.

num *τίτανος*, sive *equeſtre* ea de ratione, quod primo hominibus artem equitandi docuerit *q)* equumque primus produxerit, *r)* summa coluit religione, ut late docet *PAVSANIAS*.<sup>s)</sup> Hincque ipsum curulibus ludis praeficiebant eique in circis theatrisque sacrificia offerebant: lege scriptores memoratos a *SAM. PITISCO*.<sup>t)</sup> Inde etiam veteres heroes, qui his agonibus intererant, priusquam ludum ipsum inirent, ad hunc deum submissis miserunt preces, uti ex *PINDARO* liquet.<sup>u)</sup> Quin et iurasse heroes per Neptunum, tangentes equos, ex *HOMERO* patet, cuius verba hoc spectantia *PAVSANIAS*<sup>x)</sup> conservauit nobisque reliquit.

Habes hic, *PATER VENERANDE*, ea, quae mihi de nummo veteri, maxime raro, venere in menteum. Non alio confilio, scias, me hancke suscepisti scriptiōnem, quam vt ista pietatis, qua tibi penitus addictus sum, exhibeam testimoniū simulque gratulandi officium de iterum feliciter tibi traditis academiacae fascibus, rite perfoluam. Supremum ergo numen submissē precor, velit sua gratia te ita corroborare, vt, quod suscepisti, regimen omni felicitatū generē floreat; nec villo tristiori casu perturbetur. Tuas mentis pariter ac corporis vires feruer sumius dens incolumes, vt noſrae musarum officinae diligenter prospicere einsque salutem insigniter augere queas. Caeterum paterno tuo confisi amore, te hunc qualimcunque ingenii mei futuri, pietatis in te meae testem, benigne esse accepturum, spero meque tuo amori commiendo. Ienae

d. XIII, augusti M DCC XXXXIII.

*g)* vid. *SOPHOCLEM oed.* v. 705.

*r)* vide scriptores adductos a celeberrimo *PETRO BVRMANNO* in *Ioue fulguratorie* p. 280.

*s)* *lībr. V IIII. cap. 35. p. 650.*

*t)* *lexico antiqui rom. tom. II. p. 129.*

*u)* *olymp. I. V. 54.*

*x)* *lībr. VII. p. 577.* Exstant et haec verba inter fragmenta Homeri, a *IOSVA BARNESTIO* collecta editionique, ab eo procuratae *operum* adiecta illius, *tom. II.*



Ung. VI 98

= [Dissertationes theol.  
vol. I & 2.]


ULB Halle  
001 831 976

3



KD 17 = 00





COMMENTATIO  
 DE  
**NVMMO REGIS HIERONIS**  
 ANTIQVISSIMO

QVA  
 PATREM VENERANDVM  
**IOANNEM GEORGIVM**  
**WALCHIVM**  
 S. T. D. ET P. P.

DE  
 QVINTVM FELICITER SVSCEPTIS  
**ACADEMIAE FASCIBVS**  
 PIA PROSEQVITVR GRATVLATIONE  
**IOANNES FRANCISCVS GOTTLIBIVS**  
**WALCHIVS**  
 IVRIVM CVLTOR.



IENAE EX OFFICINA RITTERIANA. 1744

